

in solo materiali obiecto, possunt & facile multiplicari. Secundo illi, qui simpliciter negant *Conscientiam Antecedentem*, & definiunt *Conscientiam* per *internam Animi Testimonium*, quo quis sibi conscius est de bene vel male factis & quo quis accusatur vel excusatur, remordetur. Tertio ordinem turbat *Gregorius Saurus Anglicus* in *Clavi regia Sacerdotum* lib. 1. cap. 3. qui *Conscientia actus* sic recenset: *Primus est testificari de facto praterito, quod recognoscimus, nos fecisse vel non fecisse, quod factum vel bonum vel malum fuit. Secundus in ordine ad malum aliquod commissum vel bonum omissum, qui est accusare vel excusare, reprehendere, remordere. Tertius est instigare, ligare vel solvere*: Nam *Primò* ultimus ille actus procul dubio primus est & ad antecedentem conscientiam spectat. *Secundò* ipse agnoscit, hunc *Conscientia actum* esse in ordine ad aliquid faciendum vel non faciendum. *Tertiò* deniq; seipsum & vineta propria cædit, dum assignat *Conscientia actum* in ordine ad aliquid futurum, & tamen definit illam per testimonium de bene vel male factis.

XVI.

Constat ex dictis, quorsum referenda sit *Conscientia*, nempe ad *Facultatem animæ Superiorem*, & quidem maximè ad *Intellectum practicum*, ut vel ipsum *Nomen* docet, & *Locus Scriptura Ecclesiastis* 7. v. 33. *Rom. 2. v. 15.* nec non ex *Patribus Basilius* scribens: *alma mens tua pro Tribunali sedet, illa scil. qua superior inferioribus potentis, illis præst, eas regit atque gubernat.*

XVII.

Displicet primò ipsis *Pontificis* sententia *Henrici* quodlib. 1. q. 18. cujus sententiæ ex parte volunt fuisse *Durandum* in 2. Dist. 39. q. 4. statuentis, *Conscientiam esse Inclinationem quandam elicitam à voluntate ad operandum secundum rationem rectam*. Cum enim proposuisset *Durandus* duo argumenta, quæ videntur facere pro *Voluntate* tanquam sede *Conscientia*; In Declaratione verò *Quæstionis* quatuor pro *Intellectu*, scil. ex *Interpretatione Nominis*, ex *Attributis conscientia*, ex *Authoritate Scriptura*, & ex *communi Modo loquendi*, concludit tandem his verbis: *dicendum, quod Synteresis & Conscientia non sunt aliquid unum, sed includit quodlibet eorum aliquid pertinens ad Intellectum, & aliquid pertinens ad Voluntatem*. Putidum verò illud est argumentum, quod ex *Nomine* petit, quia *Synteresis* Græcè dicatur latinè *Con Electio*; *Electio* autem ad *voluntatem* pertineat, manifesto circa *Nominis Interpretatione*